

Georg Mejer Johannes Matthaenus


## **Disputatio III. Collegii Metaphysici : De Natura Et Constitutione Metaphysices**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729119556>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





DISPUTATIO III.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE  
NATURA ET  
CONSTITUTIONE  
METAPHYSICES.

Quam

AUSPICE CHRISTO

*In alma Rosarum Academia*

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*

JOHANNES MATTHÆI

NeoTreptov. Pom.

*Ad diem 8. Septemb. horis pomeridianis.*

ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri

Anno c1o 1o CX.

COLLEGIUM METAPHYSICUM  
D. B. ...  
NATURALIUM  
CONSTITUTIONE  
METAPHYSICIS  
Quam  
...  
In Aula Regia Academiae  
...  
M. GEORGIO MEIERO  
Dachshausen Sax.  
...  
JOHANNES MATTHEI  
...  
...  
...  
...



# DE NATURA METAPHYSICES.

## Theorema I.

Datur Metaphysica.

**P**ostquam totius Philosophiæ constitutionem intelleximus, sequitur jam ut ad ipsam Metaphysices essentiam cognoscendam accedamus, de quaestione an sit prius, quam quid sit acturi.

II. Sunt enim & reperiuntur plurimi etiam haud infima sortis homines, qui Metaphysicam omnino non dari autumant. Adversus hos sequentes dirigimus rationes. 1. Principia reliquarum scientiarum in dubium vocari possunt, proinde necessario danda erit scientia aliqua generalis & superior in dubium vocata confirmans, cum impossibile sit scientiarum aliquam sua probari principia. 2. Nulla, præter Metaphysicam alia datur scientia, in qua agatur de affectionibus Entis tam unitis, ut uno, vero, bono, quam disjunctis, ut necessitate, contingentia &c. 3. Sublatâ Metaphysicâ, tollitur etiam Sapiencia, & sic non quinque, amplius, sed quatuor habebimus habitus intellectuales. Nulla enim est disciplina qua Sapiencia verè dici possit, præterquam sola Metaphysica.

## Theorema II.

Metaphysica cum Logica non est confundenda.



I. *Revera Metaphysicam dari ostensum est, quod dum Ramai omnino fateri necessum habent, cum praeceptore suo eandem à Logica minimè distinctam esse contendunt. Id vero ut erroneum & falsum hoc modo ostendimus. 1. Quia differunt genere. Logices enim genus est habitus instrumentalis, quia disciplinis instrumentalibus annumeratur: Metaphysices vero principalis, quia è numero est scientiarum, quibus Logica ceu instrumentum inservit. Et habet sese Logica ad Metaphysicam non secus ac famula ad Dominam. 2. Quia subjecto differunt formali. Subjectum quidem utriusq; materiale est idem, Ens videlicet: nam non minus Logica versatur circa omne Ens, quam Metaphysica; sed formale diversum: nam non eo modo considerat Logica Ens, quo Metaphysica: Esse vero in cuiusq; disciplina subjecto constituendo duo consideranda; ipsum materiale & formale, docent Logici. Materiale vocant subjectum in amplitudine sua citra restrictionem consideratum: Formale vero modum considerandi, qui amplitudinem subjecti restringit, & certa cuidam disciplina adequat: nam plures disciplina subjecto materiali convenire possunt, formali vero non item: Per modum enim considerandi disciplinae omnes inter sese discernuntur. Sic homo subjectum esse potest materiale plurimarum disciplinarum, ut Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Ethica, Physica: sed non formale. Homo enim quatenus salvandus, subjectum tantum est Theologiae; quatenus in iudicio forensi vel absolvendus vel condemnandus, tantum Jurisprudentiae; quatenus sanitati restituendus, tantum Ethica; & quatenus deniq; est corpus naturale, tantum Physica. Pari modo Ens quatenus est Ens, subjectum tantum est Metaphysices, non Logices: quatenus vero notionibus secundis subternitur, subjectum tantum est Logices, non Metaphysices. Modum itaq; considerandi qui tollit, quid quaso facit aliud, quam quod confusionem rerum & disciplinarum ingentem introducat?*  
3. Quia

3. Quia differunt fine. Est quidam Logices finis veritas, sed eandem in se non habet: verum in disciplinis realibus invenit: modum enim saltem ostendit veritatem in scientijs investigandi. Est itaq; veritatis consideratio in Metaphysica πρώτως & principaliter: In Logica vero δευτέρως tantummodo & minus principaliter.

II. Hic vero à Ramais obijcitur: 1. Quod Logica aequè sit generalis, ac Metaphysica. 2. Quod Logica jure agat de toto & partibus, de causis & effectis tanquam affectionibus seu veris speciebus & differentijs Entis, uti locos suos inventionis indigitat Ramus, lib. 4. schol. Dial. cap. 5. 3. Quod affectiones Metaphysicae sint mensura & fundamentum trium operationum intellectus.

III. Hac sunt argumenta non fortia, sed imbecilla, quibus moti Ramai à Peripateticorum unanimi sententiâ, reiç; veritate divortium fecerunt, quæ tamen si penitius introspiciantur, ad vere rationis judicium revocata, nullius penè momenti existent. Primum enim nullo nititur fundamento. Sunt Logica & Metaphysica disciplinae aequè generales: Ergone non differunt? Sunt Physica & Politica duæ disciplinae speciales, quis vero inde inferret: Ergo conveniunt? Neq; generalitas, neq; specialitas, sed rerum identitas identitatem disciplinarum inferi. Dicitur Metaphysica generalis, quod Ens quatenus Ens, sub quo omnia inferiora continentur, consideret: Logica vero, quod ejus usus ad omnes in universum disciplinas, quibus ceu instrumentum inservit, sese extendat. Illa considerat Entia realia: seu notiones primas: hac intentionalia seu notiones secundas. Illa scientiam; hac modum sciendi tradit; illa omnium scientiarum regina est: hac vero ministra. Quis ergo non immane utriusq; discrimen agnosceret? Alterum absurdum planè est. Falsissimum enim est, locos inventionis esse species sive differentias Entis, ob rationes. 1. Quia loci inventionis πρώτως Ens non dividunt. Non enim dicere

possum: Quicquid in mundo est, distinguitur in causam & effectum, vel in subiectum & adjunctum. Diverso enim respectu unum idemq; & causa & effectum, & subiectum & adjunctum esse potest. Accidens vero nunquam dicitur substantia, neq; substantia accidens, propterea quod sint species Entis. 2. Quia loci inventionis omnes in relatione ad aliud considerantur: ex sese enim mutuo definiuntur. Species vero absolutum quiddam sunt & simplex, quia non propter aliud. Relatum itaq; quod est, quo pacto erit mensura ejus, quod est absolutum? 3. Quia loci inventionis pleriq; non ex intima rei forma sive essentia, sed ab externis quibusdam communitatibus petuntur: Species vero ex ipsa oriuntur rerum essentia. Qui ergo loci Species Entis constituere poterunt? Quid? Si Logica jure de toto, partibus, causis, effectis tanquam Entis speciebus aut affectionibus, ut inferi argumentum ageret, quidni etjam de uno, vero, bono actu, potentia, & reliquis Entis affectionibus aequè generalibus ageret? hoc vero quia Ramus absurdum videtur, eadem absurditate & illud laborabit, ut sicco hic, quod dicitur pede praterream, quod loci inventionis Ramo nihil aliud sint, quam argumenta, argumenta verò esse notiones secundas, Ens vero notionem primam, quis nescit? Igitur ne notiones secundae Species sunt Entis? & cetera. Tertium & postremum argumentum considerationem trium mentis operationum Metaphysicam cum Logica confundit. Habent mentis functiones locum non minus in Metaphysica, quam Logica, sed diverso respectu. Logica enim nihil facit aliud, quam quod ipsdem tanquam instrumentum inserviat, quod exemplo facile declari potest. Sumamus primam mentis operationem, quae consistet in simplicium terminorum apprehensione. Ponatur homo, similiter animal: Est prima mentis operatio non Logica, sed Metaphysica, quia sunt notiones primae; fit autem Logica, quatenus homini notio secunda imponitur, species nimirum, animali vero genus. Sumamus quoq; secundam, qua

quæ in terminorum simplicium compositione consistit. Sit pro-  
positio: homo est animal: Est secunda mentis operatio itidem  
non Logica, sed Metaphysica, qua Logica demum fit, quando  
homini terminus imponitur Logicus, subjectum videlicet, ani-  
mali vero prædicatum. Idem iudicium esto de tertia mentis  
functione.

### Theorema III.

Metaphysica multis gaudet titulis insi-  
gnibus.

Primo enim nomine sapientia insignitur, quod cum sex illis  
conditionibus sapientia à Philosopho lib. 1. Metaph. c. 2. propo-  
sitæ ex asse congruat. Nam 1. omnia cognoscit prout sunt. 2.  
circa difficillima & à sensibus remotissima versatur. 3. certissi-  
mè omnia propter immotam causarum & principiorum certitu-  
dinem cognoscit. 4. ad docendum ob eandem rationem est aptis-  
sima. 5. propter sese gratiâ sciendi expetitur. 6. Alijs præest  
ac dominatur, cum quod in consideratione summi finis & boni  
supremi, quod juxta Philosophum est ipse Deus, versetur: tum  
quod reliquarum scientiarum principia in dubium vocata con-  
firmet. Suarez. disp. 1. sect. 5. Versor lib. 1. Metaphys. quest. 5.  
D. inde Theologia à Philosopho appellatur lib. 6. Metaph. c. 1. quod  
de Deo etiâ in quantû quidem luce natura cognoscâ potest, agat.  
Præterea Philosophia vobis ἐξολωδ vocatur lib. 4. Metaph. c. 2. &  
lib. 11. c. 3. quod partium Philosophia omnium sit præstantissi-  
ma. Tandem Philosophia prima indigitatur lib. 4. Metaph.  
c. 2. ob summam scilicet suam, quâ pollet dignitatem.

### Theorema IV.

Metaphysica est scientia quæ circa Ens  
quate.

quatenus Ens, ejusdemq; principia & affectiones communissimas versatur.

I. Genus Metaphysices constituimus scientiã. 1. Quia est pars philosophiæ speculativæ. Omnis autem Philosophiæ speculativæ pars est scientia. 2. Quia admittit demonstrationem. Ubi vero demonstratio, ibi scientia. 3. Quia in Metaphysica datur cognitio per causas. Ubi autem cognitio est per causas, ibi quoque est scientia: Scire enim est rem per causas cognoscere. Arist. lib. 1. post. analyt. c. 2. Tenendum vero, quod non hoc loco vocem scientiæ strictissimè sumamus, quatenus respicit tantum conclusiones: sic enim totam Metaphysicam, quæ etiam in principijs occupata est, non complecteretur, sed latè quatenus omnem habitum demonstrativum sive conclusionum sive principiorum sit, denotat, ac cum sapientia coincidit, ideoq; & illi qui Metaphysicæ genus sapientiam constituunt à rei veritate minimè aberrant. Obijcis: Omne genus latius esse debet suã specie. Atqui sapientia non est latior Metaphysicã. E. Major, quæ est axioma Logicum, restrictione opus habet. Consideratur enim genus bifariam, vel ratione essentia sua: vel aptitudinis seu potestatis per quam aptum est de pluribus predicari. Posteriori modo genus semper latius est suã specie: non v. priori. Sic sapientia de pluribus speciebus predicari potest per non repugnantiam, licet unam saltem habeat per realem existentiam: Non enim repugnat sapientia de pluribus posse predicari speciebus, licet ipso actu de una tantum, propter defectum materia predicetur.

II. Opinionem vero Timpleri, Metaphysicam & scientiam & artem rectè appellari posse contendentis rejicimus, cum quod scientia & ars longissimè distent: Illa enim est habitus  $\tau\epsilon\omega\eta\tau\iota\kappa\acute{o}\varsigma$ : hæc vero  $\mu\iota\theta\eta\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ : tum quod ars non nisi in significatione impropriã Metaphysica accommodari possit.

Theore-

### Theorema IV.

Subiectum Metaphysices est Ens quatenus Ens.

I. *Varia & discrepantes sunt Philosophorum de Metaphysices subiecto opiniones. Reperiuntur enim qui illud rectè constitutum arbitrantur, si vel Entis vocem in latissima significatione sumant, vel novum aliquod intelligibile cum Tempore fingant, quod Ens & non-Ens, Entia realia & rationis ambitu suo contineat. Quidam Entia per accidens etiam subiecto Metaphysices includunt. Alij Metaphysices subiectum Deum tantum constituunt, quæ opinio Alpharabio tribuitur. Nonnulli substantias incorporeas, tam Deum quam intelligentias subiectum Metaphysices adæquatum esse arbitrantur, quam sententiam iuctur Averroes. Sunt qui decem predicamenta, reiectis substantijs incorporeis pro subiecto Metaphysices agnoscunt, quæ sententia est Dominici de Flandria. Quidam cum Buridano solas substantias, remoris accidentibus proprium Metaphysices obiectum esse volunt. Quidam deniq; Ens quatenus Ens reale & positivum Metaphysices subiectum constituunt, ut sunt: Thomas in proæmio Metaph. Juvellus lib. 1. Metaph. q. 1. Soncinæ lib. 4. Metaph. q. 10. Fonseca lib. 4. Met. c. 1 q. 1. § 2. Suarez. tom. 1. dist. 1. sect. 1. dist. 2. Versor in proæmio Met. Cornelius Martini in compen. Met. f. 12. Jacobus Martini lib. 1. Met. exer. 2. theor. 3. Arnisaus in Epit. Met. f. 13*

II. *Varia sunt opiniones, è quibus tamen nullam, præter positivam amplectendam censemus. Non primam, quæ & non-Ens & Ens rationis ad subiectum Metaphysices refert. Nam non-Ens quòd perperam subiecto includatur, probatur. 1. Quia nihil quod est, intelligi nequit: & nulla est scientia, quæ de nihilo sive non-Ente agat: Omnes certam sibi habent substratam materiam. 2. Quia non-Entis nullæ sunt affectiones. Quod autem*

B

intelle-

intellectum ferit, sub certis affectionibus eundem ferit. 3. Quia non-Ens non per se, sed per accidens considerationis est Metaphysica, quatenus videlicet sub ratione Entis menti obijcitur. Ens rationis similiter vitiosè ad subjectum Metaphysices rejicitur.

1. Quia Metaphysica est disciplina realis, ideoq. etiam de Ente reali, non rationis agit. 2. Quia Ens rationis pertinet ad Logicam: hac enim Entia rationis efformat, eaq. ad Entia realia accommodat. 3. Quia Ens rationis non praexistit. Subjectum autem in quacung. scientia praexistere debet, ut Philosophus docet lib. 1. poster. anal. c. 1.

III. Non secundam. 1. Quia nulla scientia curat ea, qua sunt per accidens. 2. Quia Ens per accidens nullam causam habet determinatam. 3. Quia non est unum extra intellectum nostrum, sed solum mens nostra duas diversas res sub unum cogit conceptum.

IV. Neq. tertiam admittimus opinionem. 1. Quia affectiones Entis non tantum competunt Deo, sed & rebus creatis. 2. Quia paucissima sunt, qua de Deo in Metaphysicis tractanda suscipiuntur. 3. Quia Deus pro subjecto habetur non adaequationis sed perfectionis.

V. Quarta ob easdem rationes rejicitur.

VI. Porro nec quinta opinio consistere potest. 1. Quia affectiones Metaphysica non Enti, prout in decem distinguntur categorias: sed respectu aliquo generaliori competunt, sicq. ad ipsum Deum licet analogicè & modo aliquo perfectiori, referuntur. 2. Quia Deus à nobis ratione attributorum suorum cognoscitur, ideoq. à subjecto Metaphysices removeri non debet. 3. Quia Deus in Physicis habet rationem principij externi, causa videlicet efficientis. Ergo quia Metaphysica scientia est superior, in ea Deus habebit rationem subjecti.

VII. Sexta jure improbat, 1. Quia Ens tam de substantiâ quam accidente, licet analogicè, enunciatur. 2. Quia generalis ac-

lis accidentium pertractatio ad nullam scientiam specialem referri potest. 3. Quia affectiones Entis etiam accidentibus competunt.

VIII. Soli postrema subscribimus sententia, moti his rationibus. 1. Quia Metaphysica est disciplina realis & generalis, ideoq; etiam reale & generale subjectum habeat necessum est. 2. Quia Ens quatenus est Ens reliquis omnibus, de quibus agitur in Metaphysicâ est substratum. 3. Quia Ens quatenus Ens est Ens per se, h. e. absq; nostra cogitatione operatione ve existit. Humana namq; mens subjectum non constituit, sed constitutum accipit. Hâc accedit auctoritas Aristotelis, expresse qui Metaphysicam scientiam Entis quatenus Ens est appellat lib. 4. Metaph. c. 1. verba ejus hac sunt: *Εστιν ἰστιμήμη τις ἢ θεωρεῖ τὸ ὄν ἢ ὄν, καὶ τὰ τῶν ἀρχόντων καθ' αὐτό. αὐτὴ δὲ ἐστὶν ἐδεμῖα τῶν ἐν μέρει λεγμένων ἢ αὐτῆς, ἐδεμῖα γὰρ τῶν ἄλλων ἰπισκοπεῖ καὶ οὐκ ἐστὶ τὸ ὄντως ἢ ὄν. ἀλλὰ μέρῳ αὐτῆς π' ἀποτιμνόμενα* θεωρεῖσι περὶ τῶν συμβεβηκῶς.

### Theorema VI.

Finis Metaphysices est Entis cognitio si-  
ve contemplatio.

E numero enim Metaphysica cum sit scientiarum, non potest pro fine habere actionem, sed nudam rerum contemplationem. Quia enim scientia omnes agunt de rebus aternis & necessariis, voluntati nostrâ nullatenus subjectis, ideoq; easdem efficere minime poterimus, sed in earum cognitione acquiescendum erit.

### Theorema VII.

Metaphysicæ partes sunt duæ: Generalis una, specialis altera.

Illæ



I. Illa de Ente agit in genere, ejuſq; principia inſtigat, à quibus ad affectiones ſu transitus, qua in duplici ſunt differentia: Quadam enim dicuntur ſimplices ſive unita, ut ſunt unum, verum, bonum: Quadam diſiuncta, ut ſunt cauſa, cauſatum, neceſſitas, contingentiã &c. Hæc de Ente in ſpecie, ut ſubſtantia & accidente, Deo, angelis & anima noſtra rationali. Hiſce totum Metaphyſices ſyſtema abſolvitur.

II. Videtur autem partitioni noſtræ obſtare illud, quod cum Metaphyſica ſit diſciplina univerſalis & generalis, illam minime de Ente in ſpecie agere oporteat. Cui nos initio axioma longe veriſſimum opponimus hoc: Ejuſdem eſt ſcientiæ agere & de genere & de ſpeciebus generis. Deinde reſpondemus, quod eatenus de ſpeciebus Entis in Metaphyſica agatur, quatenus modus conſiderandi, qui ſcientiæ Metaphyſicæ eſt proprius illud ipſum permittit. Nam agitur de ſubſtantia & accidente quatenus ejuſmodi habent affectiones, qua fines & terminos inferiorum diſciplinarum transcendunt. Ideoq; conſideratio hæc licet reſpectu Entis in genere conſiderati ſit ſpecialis: tamen collata ad conſiderationem rerum qua in reliquis ſcientiis habetur, omnino univerſalis eſt appellanda.

#### COROLLARIA.

I.

An Metaphyſica ſcientiarum omnium ſit nobiliſſima? A.

II.

An Metaphyſica omnium ſcientiarum ſit confluxus ſive congeries? N.

III.

An reliquæ ſcientiæ Metaphyſicæ propriè ſubalternentur? N.

IV.


An Ens quatenus eſt intelligibile ſit proprium Metaphyſices ſubjectum? N.


V.

An mun<sup>o</sup> Metaphyſices ſint tradere inſtrumenta ſciendi? N.









306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document